



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 52. in vagos pœnitentes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

PHILIPPICA LII.

In vagos pœnitentes.

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

Cujus filius est? Matth. 22. v. 42.

§. 1.
Cur Chris-
tus tanto-
perè pro
suorū ho-
nestate na-
taliū ze-
lavit.

Ur quæstionem cæ-
lestis Magister Pha-
risæis de avis & ata-
vis veri Messiaë pro-
posuerit, causa mi-
hi potissima vide-
tur esse, ut zelum
suum erga Natalium honestatem o-
stenderet. hinc & Majores suos à ge-
minis Evangelistis Matthæo & Luca
referri voluit, & ab hoc quidem du-
ctâ generationis lineâ usque ad ip-
sum Adamū, ut adversariis os ob-
strueret mutiendi contra Majorum
suorum splendorēs. Et quamvis de
virgine nasci dignatus sit, hæc tamē
despōsari debuit, nè ut illegitim⁹ re-
putaretur, ac proinde à Judæis ut
Messias nō acceptaretur. *quid judæis*
(verba S. Ambrosij) *quid Herodi*
posset adscribi, si natum viderentur
ex adulterio persecuti? quasi dicat,
sufficiens causam habituros fuisse
judæos repudiandi Christum, si
illegitimo natum thoro suspicari
potuissent. Quod si tanta natalium
cura est Christo, quantò magis accu-
rare debet Christianus, ut certi Pa-
tris secundum spiritum sit filius, cui
videlicet per regenerationem pœ-
nitentiæ ex integro notus, non verò
vagus pœnitens inque spiritu no-
thus sit. Si enim indecorum est
Nothum esse secundum carnem,
longè turpius magisque noxium e-
rit ignoti Patris Confessarij esse fili-

S. Ambros.
apud Syl-
veir. to. 1.
l. 1. c. 5. g.
18.

um, neque certum ad hanc quæ-
stionē dari posse responsum: *cujus*
filius? sed secundum veritatis leges
omninò respondendum esse, imò
propria ex confessione evinci: Pa-
tris N. N. Non noti esse filium, seu
Nothum. vagos ejusmodi pœniten-
tes, dum hodierna persequitur o-
ratio, constanti ut oratorem bene-
volentiâ profequamini, oro, speroq;

Quam exosi & coram Deo ho-
minibusque despecti in utraque le-
ge veteri & nova sint spurij, liquet
ex textibus sacri codicis. Spurijs e-
nim, nec ad officia politica patefi-
eri debet accessus, ut Jurisperitis
notum est; quin & suam Deus mise-
ricordiam ijsdem derogat: *filiorū e-*
jus nō miserebor, quia filij fornicationū
sunt Osee 2. v. 4. Non est misertus
spurio Davidis, etsi pœnitens Pater
septem diebus humi jaceret, oraret
& ploraret pro vita parvuli; cujus
culpa non fuit nasci, pœna tamen
fuit mori. quāto minus misericor-
diam consequentur, qui suâ se cul-
pa incerti patris faciunt filios.

Maximum in Scriptura oppro-
brium est spurium appellari (fortè
& ideo Davidicus sublatu est no-
thulus, nè cognomen ignominiaë
eidem adhæreret) unde de Goliatho
satis erat dicere *Spurium* fuisse; &
Daniel geminos mœchos *semen Cha-*
naan & non *Juda* vocitasse sat ha-
buit. Iratus in amabilem Jonatham
Saul

§. 2.

Si Spu-
rij infā-
mes, mul-
tò magis
vagi pœ-
nitentes.

Mm 3

Saul

Saul turpiori convicio innocentem filium afficere nescit, quàm compellendo *mulieris ultrò virum raptentis* 1. Reg. 20. v. 30. quin & gravissimum scelerum, quod est idololatria, *fornicationis* titulo passim apud Prophetas cognominari solet, quasi opprobrium extremum sit filium fornicationis vocari. Mitissimus quoque Salvator ac Præcursor ejus Baptista cum gravissimas in iras exarsere, inimicos Verbi & Crucis Dominicæ judæos gentem adulteram ac genimina viperarum appellaverunt. Ex quibus facile apparet, si tantum probrum est, spurium appellari secundum carnem, quæ tamen *non prodest quidquam*, quãtò major ignominia est, spurium esse secundum spiritum, incertumque spiritalis vitæ suæ Patrem habere.

§. 3.
Alexander Magnus
cur Hircy
dictus.

Alexander Magnus quia ex adultera à Philippo genitus fuerat, vocari se voluit non Philippi, sed Jovis Hammonij filium, verum in hoc ipso se prostituit, quod non alium Jovem quàm Hammonium elegerit, quia Hammonius in specie Hirci colebatur, *Hammun* enim Ægyptiorum lingvâ hircum significat, idèoque Alexander à Daniele c. 8. v. 5. *Hircus* appellatur tanquam spurius; solebant enim antiqui nothos caprarum filios vocitare, quia capra varijs jungitur maribus. Si hædi dicuntur, qui secundum carnem incerto patre geniti, quàm vereor, nè in periculo sint, ut hædorum numero & nomine insigniantur, qui incertum spiritus sui Patrem sequuntur. Certè vix aliud motivum habent Confessarium toties mutandi, quàm quod ijs obnoxij sint vitijs, quæ in hædo symbolicè significantur, luxuriæ & injustitiæ. hædas enim quia herbas radicitus depascitur, injustitiæ est symbolum; ob foetentissimam verò luxuriam adeo brevis est ævi, ut ante sextum

añum, teste Columellâ, confenescat, heu quàm vereor, nè inter hædos in die novissimo, numerentur, qui nunc sunt Hammonij, per confessionalia vagi, nulliusq; certi Confessarij stabiles filij.

Majores melioresque Alexandro Magno Principes Christiani, nè Hammonij dicerentur, omni studio accurant certum ac stabilem habere Confessarium, quem Patris loco ducerent ac devenerentur. Pipinus Rex teste Baronio ad annum 631. S. Vironem Confessarium non nisi nudo capite & pedibus adibat. Ferdinandus II. Angelo potiore ducebat, & sicut non facile mutantur Angeli Custodes, ita nec Confessarium censebat de facili mutandum, huic cum sedes deesset ad excipiendam confessionem, & Imperator apportare, renuente licet Sacerdote, fatageret, evicit Austriaca Pietas ita concludere: Mi Pater, hic tu judex, ego reus. Carolus V. Confessarij sui Petri sepulchrum quoties transiit, caput aperuit & profundè inclinavit, ut Consilio Ecclesiasticè abundantius obsequeretur: *presbytero humilia animam tuam. c. 4. v. 7.* S. Carolus Borromæus, ultimo vitæ suæ mense Confessario suo Patri Francisco Adorno manè lumen accendebat, transiens verò profundâ capitis inclinatione licet dormientem venerabatur, multò autem maxime à nutu ejus dependebat, quia salutem inde animæ suæ dependere putabat. sicut reverà pependit S. Theresiæ Virginis, quæ, ut ipsamet describit c. 33. vitæ suæ, vidit paratum sibi in inferno locum, si ita vivere perrexisset, etsi enim nunquam mortaliter deliquerit, nihilominus, quia à Confessarijs signaris decepta venialia contempsit, proxima fuit lapsui. *mansi in hac cecitate aut illa in c. 5. credo plusquam septemdecim annis, donec quidam Pater Dominicanus*

canus

canus valde doctus mihi aperuit oculos in aliquibus rebus, & illi ex Societate Iesu totaliter mihi incusserunt tantum timorem, aggravando adeo mea mala principia.

§. 4.
Vagi pœnitentes præfixum à Christo pœnitentiæ finem non assequuntur. Ezech. 34. v. 4.

Errant in primis Christianæ institutionis principijs, qui per creberrimam Confessariorum mutationem assurecare se suam sperant salutem, errant inquam in institutæ à Christo pœnitentiæ principijs, cuius videlicet finis & intentio fuit Confessarium constituere ut Medicum, ut Judicem, ut Consiliarium, ut p̄m Samaritanum, ut providum Patrem. Medicum enim agere jubetur Confessarius, & juxta Ezechielis effatū consolidare quod infirmū est, sanare quod ægrotum est, alligare quod fractum, reducere quod abjectum, & quod perierat quærere; & quomodo quæret, reducet, alligabit, sanabit, consolidabit, si patiens seu pœnitens Medicum constantem non admittat, sed alium aliūque pro infano suo arbitrio requirat? quod medicus ignorat, medicina non curat, nec certius est mortis periculum, quàm crebra mutatio medicorum. Sapuit, qui dixit: sicut multi Coci destruant jusculum, ita variati Confessarii pœnitentis animum. Judicem deinde opus habet agere Confessarius: & quomodo certam proferet sententiam, si totam pœnitentis conscientiam imitus non perspiciat, nesciatque, quæ peccata ex inveterata consuetudine, quæ ex præpostero fervore humanæ fragilitate à pœnitente soleant perpetrari? Nec Consiliarium bonum pro ratione muneris sui aget Confessarius, si pœnitentis statum, quem ipse consultò celat & obvelat, luce clariùs meridianâ penetrare atque dispicere non possit. Si Confessarius bonū Samaritanum sive custodem obire debeat, an non miseri viatoris

status detegendus, palpanda & inspicienda vulnera, totiùsque mali radices observandæ sunt, ut tantum olei ac vini, quantum vulnerato ad lenimen & medelam sufficit, salubriter infundat? Denique Patrem se exhibere non poterit erga filium, quem suum filium non agnoscit. Ex quibus abundè patet, quàm parùm menti Salvatoris sui respondeant, qui Confessarium perpetim mutando jactitât illud: ubiq; Christus est omninò ubique Christus, sed non tibi Christus, non tibi salus, non tibi consolatio, non tibi utilitas. De vagis enim pœnitentibus Paulinum illud verificatur: *Christus vobis nihil proderit.*

Genuini pœnitentis personam egit leprosus ille, qui Christo de monte descendenti occurrens, divinam clementiam hiscè verbis exoravit: *Domine si vis potes me mundare!* remisit illum Christus ad Sacerdotem inquiens: *vade, ostende te Sacerdoti* Matth. 8, v. 4. non sinè mysterio Episcopus animarum nostrarum Iesus leprosum non ad Sacerdotes, sed unum ad Sacerdotem abire jussit, ut doceret, salutem comparandæ apprimè conducere unum constantem habere Sacerdotem, cui interior animi lepra candidè ac fideliter detegatur: *vade, ostende te Sacerdoti.* Et quamvis idem Salvator decem leprosis sanitatem postulantibus & divini præceptoris opem in clamantibus: *Iesu præceptor miserere nostri.* præcepit: *ite ostendite vos Sacerdotibus* Luc. 17. v. 14. nō unum ut priùs, sed plures nominando Sacerdotes, non tamen idcirco pluralitatem Confessariorum, svasit aut præcepit, sed multos multos Confessarios, unum unicuique eligere & frequentare sapientissimè consuluit. quemadmodum enim pœnitentes omnes ad unum cogendi non sunt Confessarium, ita né-

Gal. 4. v. 2.

néque singulis plures sunt confu-
lendi, sed ut Seraphica Theresia, cu-
jus doctrinam cœleste vocat pabu-
lum Ecclesia, monere solebat: eli-
gendus est Confessarius ex millibus
unus, & quoad eius fieri poterit præ
millibus retinendus, hic enim si ul-
libi rectissimè locum habet illud Se-
necæ consilium: Elige, postea dilige.

S. 5.
Tragicum
exemplū
vagi pœni-
tentis.

Terribile est effatum Sapien-
tissimi Sanctissimique cujusdam A-
scetæ asseverantis: qui Confessarios
perpetim mutat, idem facit, quod
qui equos mutat, ut in posta citius
veniat in infernum. Per hanc postam
properavit Usurarius ille Parisiensis,
de quo testis oculatus Pater Joannes
Lorinus, qui eodem tempore Pari-
sij aliores disciplinas profiteba-
tur, enarrat, rejectum illum à Paro-
cho urbis aliisque doctis ac pijs Con-
fessarijs propter notoria quædam
scelera, & ferij propositi defectum
à sacro pœnitentiæ tribunali fuisse,
vagabatur proinde in incertum, &
nunc hoc nunc illo, nunquam eo-
dem Confessario utebatur, donec
tandem in Cœnobitam nescio quem
incidit, à quo absolutionem à pec-
catis liberalissimè obtinebat, ideo-
que Sacerdos ille propè indies tan-
quam exquisitissimus Confessarius
opiparæ mensæ apud Usuriarum
adhibebatur. Accidit aliquando;
ut solito liberalius unà cœnarent,
jámque sero vespere religiosus do-
mum, usurarius cubitum concesser-
at, cum ecce subitanea & impro-
visa mors infelicem Usurarium op-
pressit, & illicò duo dæmones, e-
pheborum speciem induti ad fo-
res Monasterij advolârunt, liberti-
num hunc Confessarium ad pœni-
tentis sui agonem evocantes; mira-
batur is primùm repentinum peri-
culum, tum majores in periculo
moras esse audiens itineri se accin-
xit. in forum urbis Confessarius suo
cum socio jam devenerat, & en U-

surarium in talari tunica inambu-
lantem conspicit, quærítque, cur
se fallat & ioco habeat? nihil híc jo-
ci, inquit defunctus, jam enim im-
mortalibus accensus, apud justum
Judicem accusatus, judicatus, æ-
ternisque ignibus ob usuras ac po-
tissimum sacrilegum Sacramento-
rum usum justissimè addictus sum.
Cujus damnationis meæ cum tu
vecordissime Confessarie pars ma-
gna fueris, quòd severius increpa-
re me neglexeris, ardebis unà soci-
us pœnæ, qui particeps fuisti cul-
pæ. Quo dicto immani hiatu ter-
ra panditur momentoque citius
ambos cum geminis ephebis ab-
sumit, socio religioso præ horrore
tantum non exanimato, qui ubi ad
se domumque redit, universa quæ
dixi ex ordine, interposito jureju-
rando, nè de veritate rei dubitari
possit, fideliter enarravit. Timeant
vagi pœnitentes, nè in eandem ali-
quando foveam prolabantur! Au-
gustini monitum est: *qui confiteri
vult peccata, ut inveniat gratiam,
querat Sacerdotem scientem ligare &
solvere, nè ambo in foveam eadant.*

Nec difficile est vagos ejusmo-
di pœnitentes cadere in foveam,
cum cæci sint (à proprio videlicet
excæcati amore, à quo non sinun-
tur constanti adhærere Confessario)
& cœcorum duces è vestigio sequan-
tur. Placet scire qui vagorum pœ-
nitentium sint duces? ex sequenti
historiola patebit, quam referunt
annales Belgici ad annum Christi
1589. Mulier rustica enormis ac in-
veterati cujusdam criminis stimulis
agitata, immodicis avebat desideri-
js onus conscientiae suæ apud cer-
tum Confessarium deponere. Illius
causà Tornacum venit, exomolo-
gesin peregit, auditque Confessa-
rij sui consilium svadentis, ut de
omnibus vitæ præteritæ noxis in-
tegram institueret confessionem;
quam

S. Aug. lib.
de vera &
falsa pœ-
nitentiæ 6.
10.

quam dum mulier apparat, ecce tibi diabolus mulieri adstitem, & dehortantem, nè ad pristinum rediret confessarium, sed cui cui vellet, mentis suæ arcana retexeret. Suspecta quidem mulieri fuit svasio, nihilominus anno peonè integro secum luctata est, nova semper novaque suggerente dæmone argumenta, quibus ad priorem redire Sacerdotem vetabatur. Evicit tandem melior Spiritus, deditque mulier se in viam ad primum suum Confessarium accursura: occurrit autem mulieri dæmon speciem Sacerdotis ad quem illa properabat mentitus, & obviam interrogavit, quò pergeret? non vacare nunc sibi confessionem ejus excipere, abi-ret ocyùs domum, & vice aliâ secundiùs rediret. rediit secundò & eundem impostorem habuit obvium, eadem quæ nuper svadentem, donec tandem illustriori divini spiritûs illapsu animata, veternosi colubri dolos superavit, & Sacerdotem illum, quem dæmon adire vetuerat, anno jam vertente convenit, ac conscientiam suam integerrimè non sinè calidissimis lachrymis ardentissimisque suspirijs emaculavit. Viden' cujus consilio ac ducatu frivolis de causis mutantur Confessarij, ut facilior & celerior in fo-veam & ruinam pateat via?

§. 6. Vagi pœnitentes Caino & energumeno Lunatico perfimiles
Væ illis exclamat contra vagos pœnitentes D. Apostolus Judas Thaddæus, *væ illis quia in via Cain abiêrunt*, epist. v. II. ut ad eandem cum Caino metam, æternum videlicet exitium serius aut citiùs perveniant. factus est Cain spontè & culpâ suâ *vagus & profugus super terram* Genef. 4. v. 8. vagantur & profugiunt pariter leviculi pœnitètes quasi de tribu *Levi*, aut Cingarorum profapia, imò Caini sanguine prognati essent, dùmque multos quærunt Patres, nullû inveniunt, à quo

solidum inveniunt solatium ac optatam peccatorum remissionem consequantur, eò quòd serij doloris, aut firmi propositi, vel integræ confessionis defecto, ob quem Confessarium toties variant, irritam redat Sacerdotis, quâ in vagum pœnitentè protulerat absolutionem. Allatus erat à mœstissimo parente ad duodecim Apostolos adolescens *energumenus*, quem nunc in ignem modò in aquam possessor diabolus jactare consueverat, ut expulso iniquo hospite quietem adolescenti Patrique gaudium conciliarent. verùm nequît vis Apostolica dæmonem ex adolescente expellere, donec ad ipsummet Christum miserandus juvenis fuisset depositus, supplicibusque votis efficax adversus dæmonis vires remedium imploratum. interrogavit proinde Christus parentem, à quo tempore filius hoc malo teneretur? *ab infantia* respondit parens, & hoc erat quod Apostoli nescierant, ideòque energumeno sospitatem dare non valebant. Nesciri id ipsum vagi pœnitentes volunt, quòd ab infantia hoc vel illo scelere teneantur, atque ab impuro Spiritu nunc in ignes concupiscentiæ, nunc in aquas lubricitatis ac mollitei projiciantur. permanent proinde lunatici dæmonumque servi neque à confessario perfanari possunt, cum ex integro malum inveteratum non detegant, nec pœnitundinem seriam appor- tent. Sed dices: invincibilis pudor est, cum iisdem sceleribus ad eundem Sacerdotem toties redire, aut post fortuitum in gravius aliquod scelus prolapsum pristinam innocentiae famam ac favorem Confessarij deperdere. quid? insanus iste pudor est, apud plures confundi velle, nè apud unicum & prudentem amantemque Patrem non tam confusionem, quàm teneram

Marc. 9. v. 20.

N n com-

compassionem super infelicitate ac fragilitate omnibus agnata promerere. infanus iste pudor est ad delicti confessionem erubescere, atque ad ejus perpetrationem non erubuisse. infanus iste pudor est, magis hominem, quam conscium omnium oculum revereri, malléque incerti patris filium ac *individuum vagum* audire, quam nè ab auditione mala aliquando timere habeas, certum constantemque confessarium adire. Non ita filius prodigus qui ut in se reversus pristina agnovit flagitia, in hæc erupit verba: *ibo ad patrem meum!* non ad alium quam meum adibo Patrem & dicam ei: *Pater peccavi*, ut ex sincera peccati confessione non confusio sed germana gloria enascatur, est enim

Luc. 15. v. 18.

confusio, imò confessio adducens gloriam. ibo ad patrem meum, in-clamat enim Apostolus: *sed non multos Patres.* ad meum ibo, ut legitimum me filium comprobem & primam gratiæ stolam recipiam. dicat dicat quod libet, dicere certè debet, me hominem esse, imò quòd à lapsu resurgam fortior ac cautior, me plusquam angelum esse. Surgam ergò & ibo, nisi enim *ad Patrem meum* stabilem inquam confessarium ivero, vix à veteri lapsu serio resurgam.

1. Cor. 4. v. 15.

* * *

*



PHILIPPICA LIII.

In Blasphemos.

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

Hic blasphematur. Matth. 9. v. 3.

§. 1.
Blasphemia Lapis
S. Chryf.
hom. 3. de
incomp.
Dei natur.



Quod Ecclesiasticus c. 27. v. 28. dixit: *qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet,* exponit S. Chrystomus de blasphemis: *lapidem qui sursum jacit in excelsum, in suum caput jacit.* corpus celeste nemo jactu potest attingere, plagam autem suo capiti solet excipere, qui lapidem mittit in altum, cum lapis eodem redeat, unde ejectus est. *ita qui beatam illam blasphematur substantiam.* in blasphemum olim lata lex Levit. 24. v. 14. *lapidetur eum populus,* cur lapidandus est? respondet Procopius in glossa: *quia is erat quasi lapis, lapidibus merito ob-*

ruitur. cur lapidandus? ut sciat se lapidem in cælum misisse, & à reciduo lapide vulnerari. Lapidem in altum misere judæi, cum de Filio Altissimi dicerent: *Hic blasphematur;* quo quidem dicto *Lapidem illum angularem* Eph. 2. v. 20. *Lapidem abscisum sine manibus* Dan. 2. v. 34. *Lapidem summum, angularem, pretiosum,* 1. Petr. 2. v. 6. minimè obtriverunt, sed ab eodem contriti, & æternæ damnationis calculo mactati sunt. in quem lapidem nè & nos contingat impingere, cauti aliorum damno discamus non blasphemare.

Blasphemiam definit Svarcz *verbum contumeliosum seu contumelia in Deum,* quod vel à Deo removet, quod non

§. 2.
Blasphemia quid,